

(30. Consule tum de his, tum de aliis pertinentibus ad eminentiam Cardinalium præ Episcopis, Thomassin. *de vet. et nov. Eccles. disciplin. lib. 2. cap. 113. et seq. ubique serper totum.*

ADDITIONES CASINENSES.

(31. Cardinalium dignitas non semper in eo splendore fuit, uti nunc est, etenim Episcopi olim præminebant Cardinalibus non Episcopis, imo Cardinalatus erat gradus ad Episcopatum. In Concilio Romano sub Benedicto VIII. anno 1015. subscripserunt plures Episcopi non solum ante Cardinales Presbyteros, sed etiam ante Episcopos ejusdem S. Collegii, prout vel Archiepiscopi erant, vel Ordinationis ævo seniores. (32. Postea vero paulatim Cardinalium dignitas assurgere cepit supra ipsos Episcopos, Metropolitanos, et Præmores omnes, ac etiam supra Patriarchas Latinos, Constantinopolitanum et Antiochenum; uti patet ex monumentis, quæ ex Conc. Generali Lugdun. I. et II. sub Innocentio IV. et Gregorio X. habitis refert Eugenius Papa in epist. quam dedit ad Cantuariensem Episcopum. (33. Cujus rei duplicem assignat rationem Belarminus, alteram quod ad solos Cardinales devoluta sit electio Pontificis, alteram quod soli Cardinales cœperint illi adesse in consiliis. Id tamen testatur Sigonius initium habuisse circa annum Christi 1059. cujus sententiæ suffragatur S. Petrus Damiani, qui hoc tempore floruit, ipse enim apud eundem Sigonium, « Romani, inquit, Cardinales Romanum Pontificem principaliter eligunt, et quibusdam aliis prærogativis non modo quorumlibet Episcoporum, sed etiam Patriarcharum atque Primatum jura transcendunt. » Idem patet ex Concilio Romano eodem anno habito sub Nicolao II Pontifice, et ex Conc. Beneventano, in quo, cum Hildebrandus R. Ecclesiæ Subdiaconus Cardinalis renunciatus esset, Cardinales omnes Archiepiscopis ipsis antepositi fuere. Neque obstat, quod circa annum 1148. cœtus ipse Cardinalium in concione objurgatoria adversus Eugenium III. qui rebus fidei nimis detulerat S. Bernardo, ipsis inconsultis, aperte fateatur, Patriarchas nempe Antiochenum et Alexandrinum, etc., esse Cardinalibus majores, ut videre est apud Baronium tom. XII. pag. 351. Nam id intelligendum quoad aliquas prærogativas vel Ordinis, vel Jurisdictionis. (34. Aliqui, uti Thomassinus, aliam addunt causam, qua factum sit, ut tantum esset studium attollendæ Cardinalium dignitatis. Etenim extorquenda erat Germanis Imperatoribus ea potestas, quam usurpaverant in Pontificis electione, unde non poterat nimis esse amor ac conatus, Cardinalium potestatis extollendæ, quæ Imperatoriæ objicienda erat.

(35. Principaliter antiquitus Cardinales Episcopi Pontificem eligebant, uti patet ex decreto Concilii Romani, quod adfert auctor, ac etiam ex S. Petro Damiani *Epist. ad Cædolum Episc. Parmens. lib. I. Epist. 20.* « Tacemus interim de Senatu, de inferiori

ordinis Clero, de populo. Quid tibi de Cardinalibus videtur Episcopis, qui videlicet Romanum Pontificem principaliter eligunt, et quibusdam aliis prærogativis non modo quorumlibet Episcoporum, sed et Patriarcharum atque Primatum jura transcendunt? » (36. Nunc vero standum est novissimis Apostolicis Constitutionibus quoad Pontificis electionem, juxta quas pares videntur Cardinalium omnium partes, quamvis ad eam plurimum conferunt consilio et auctoritate Episcopi Cardinales, utpote seniores.

(37. Episcopus Ostiensis ab antiquissimis Ecclesiæ temporibus Pontificem consecrabat, teste ipso S. Augustino in *Brevic. collat. diei 3, cap. 16*, et cum Anacletus Papa declaraverat sæc. secundo, Episcopi consecrationem a tribus Episcopis peragendam esse, videtur Episcopus assistens Consecratori de jure esse debere Cardinales Episcopos Suburbicarios. Anastasius enim de S. Leone II. hæc refert: *Sanctissimus vir ordinatus est a tribus Episcopis, id est Andrea Ostiensi, Joanne Portuensi, et Placentino Veliternensi, pro eo quod Albanensis Ecclesia Episcopum minime habuit.* Sed tale jus ad Episcopum Ostiensem pertinet, prout hujus diocesis Episcopus est, non prout Decanus Sacri Collegii, ac ita Sixtus IV. anno 1471, consecratus fuit ab Episcopo Ostiensi, qui non erat S. Collegii Decanus, teste Ilmo. Archiep. Borgia, lib. 4. *Hist. Velitern.*

(38. Primum Rom. Pontifex sua purpura donavit Cardinales Legatos. Græcus Scriptor agens de Pelagio Episcopo Cardinali Albanensi Legato Constantinopolim misso anno 1213, inquit: *Papæ prærogativas omnes referens, etc. Namque calceos rubros induebatur, quinimo equi sagulum et fræna eodem inficiebantur veneno.* Rainald. n. 6. Idem videtur confirmari posse ex Innocentio III. in Decretali *l. Antiqua De Priv.*, ubi affirmat, Legatum Pontificium uti insigniis Apostolicæ dignitatis. Postea vero in Conc. Lugdunen. IV. anno 1248, ut refert auctor, purpureo Galero condecorati sunt Cardinales omnes, ac aliqui existimant, id præcipue factum fuisse, ut incitarentur ad sanguinis effusionem propter Ecclesiæ incolumitatem. Thom. *de Vet. et nov. Eccl. Discip.*, par. 1, l. 2, cap. 13, § 7.

(39. Non admodum vetusta est consuetudo mittendi pileum ad absentes. Joannes XXII. interpellatus a Galliæ Rege anno 1316, ut rubrum pileum mitteret ad Gallum Cardinalem nuper creatum, recusavit adducens veterem consuetudinem, per quam id minus liceret: *Quia neque Prædecessores nostri Romani Pontifices consueverunt extra Curiam hujusmodi pileos mittere;* addidit autem a temporibus S. Ludovici Pileum Cardinalium non esse missum, nisi ad duos Angliæ Nuntios, cum necessitas postularet eorum dignitatem augeri, ut vis et pondus accederet illorum statutis. Clemens VI. cum Cardinalem renuntiasset Abbatem S. Dionysii, commisit Pileum tribus Episcopis, et in Epistola, quam ad illum dedit, admonuit: se

servare non posse, majorum consuetudinem, qua recens ad Cardinalatum evectus non prius rubro Capello uteretur, quam illum de manu Pontificis suscepisset, quia certius factus esset, gravissima esse negotia, propter quæ a rege divelli non posset. Id propterea factum putamus cum Thomassinus, quia cum prius Cardinalatus sua natura esset beneficium Diaconi, Presbyteri, vel Episcopi, residentia lege Cardinales subiciebantur, postea vero cum spectari cœpisset ut mera dignitas, non potuit illis exui dolibus, quæ sibi connaturales erant. Vide Thom., loco cit. cap. 14, §§ 14, 15. Hodie quoque pileus non mittitur ad absentes, sed ejus loco Pontifex mittere solet ad Cardinalem noviter electum purpureum birretum, quo utitur donec accipere possit a Pontifice pileum in Consistorio Cardinalium.

ARTICULUS III.

Quoad Cardinalium residentiam, et eorum jurisdictionem in suis titulis aut diaconiis.

(1. Cardinales tenentur residere in suis Titulis; cap. *Ex gestis 2, de Clericis non residentibus.* (2. Alias si canonicè moniti non redeant, et resideant, sunt privandi, ut de facto fuit privatus Cardinalis Anastasius a Leone IV. in Concilio Romano; cit. cap. *Ex gestis*, ibi: *In Synodo Anastasius Presbyter Cardinalis tituli Beati Marcelli ab omnibus canonicè est depositus, eo quod Parochiam suam per annos quinque contra Canonum instituta deseruit, et in alienis usque hodie demoratur.* (3. Cardinales tamen non residentes privari non debent, nisi legitime moniti non redeant. Debent enim prius canonicè, et legitime moneri, ut redeant, ut constat ex cit. cap. *Ex gestis* per illa verba: *Canonicè est depositus;* et per verba Leonis IV. in dicto Concilio Romano, ibi: *quem etiam auctoritate suffulti canonicè Apostolicis Litteris per tertiam, et quartam vicem vocavimus;* et ex cap. *Inter quatuor 10. et cap. Clericos 17, de Clericis non residentibus.* (4. Alias quantumcumque vagabundi discurrant ante legitimum, et canonicam monitionem, ut redeant, non sunt privandi; cap. *Ex tue 11, de Clericis non residentibus,* et tenet Glossa ultim., in d. cap. *Ex gestis* et ibidem Hostiens. n. 4. in verb. *Canonicè,* et Fagnanus, n. 9. (5. Cardinales sic contumaciter non residentes possunt deponi sine Concilio. Quamvis enim in d. cap. *Ex gestis* dicatur: *ab omnibus est depositus,* tamen Glossa 1. exponit verbum, *ab omnibus,* id est approbantibus, quoniam solus Papa hunc Cardinalem deposuit, ut patet ex verbis ipsius Concilii Romani sub d. Leone IV. ibi: « Tunc elevans se præclarus Pontifex de Sede sua, ait, Anastasium jam nuper excommunicatum Presbyterum Tituli Sancti Marcelli, qui propriam Parochiam relinquens, in aliena per multa tempora nititur immorari, a Sacerdotali ministerio modis omnibus removemus, ita ut locum restitutioni nequaquam inveniat. » Et revera in Summo Pontifice absque Concilio residet plenitudo potestatis, ut esi

text. notab. in cap. *Cuncta per mundum 16, caus. 9, quæst. 3,* ibi: *Apostolica Sedes sine ulla Synodo præcedente, et solvendi quos Synodus inique damnaverit, et damnandi nulla existente Synodo, quos oportuit, habuit facultatem, et hoc nimirum pro suo Principatu, quem Beatus Petrus Apostolus Domini voce tenuit semper, et tenebit.* (6. Ideoque Bonifacius VIII. Cardinales Columnenses sine Conc. deposuit, ut patet ex cap. *unic. de Schismat. in 6.* (7. Immo Cardinales sic contumaciter non residentes possunt deponi a Papa etiam sine consilio, et consensu aliorum Fratrum Cardinalium. In solo enim Papa plenitudo residet potestatis; cap. *ad honorem, de usu Pallii, et arg. cap. Proposuit, de concession. Præbend.* et facit Constitutio Innocentii X. incip. *Cum juxta,* ubi disponitur etiam de imponenda pœna privationis Cardinalatus, et legitur hæc sequens clausula: *Perinde ac si in Consistorio nostro secreto de eorumdem Venerabilium Fratrum nostrorum consilio, et unanimi assensu emanassent.* Et est communis opinio, quod Papa possit ardua expedire, etiam sine consilio, et assensu Fratrum, ut testatur Gemin. in cap. *Super eo, circa med. vers. communis conclusio, Decius in Rubric. de Constitut. in 2 lect. num. 10. et Felin. ibi, n. 2 vers. sed quod immo Papa;* ubi hanc partem solidissime comprobatur, et plurimos citat idem sentientes, et contrariam opinionem dicit procedere de honestate; prout etiam loquitur textus in cap. *per venerabilem 13. Qui filii sint legitimi, § Rationibus.* (8. In quo tantam vim faciunt adversarii, quod et nos ultro fatemur, nempe quod Papa de honestate non debet Cardinalem deponere, vel alia ardua expedire sine Fratrum consilio; arg. cap. *unic. de schismat. in 6, cap. ad Apostolicæ, de re jud. in 6, et cap. de renuntiatione etiam in 6.*

(9. Cardinales non possunt a Romana Curia abscedere sine licentia Papæ. Leo X. in *Constitut.*, incip. *sub pœna* edit. in Conc. Lateran. § 28. Innocent. X. in *Constit. incip. Cum juxta,* edita 19. Februar. 1646. Et ratio est, quia Cardinales sunt Collaterales Papæ; c. *Excommunicatis, de Offic. Legat.* et debent ei assistere tanquam Coadjutores in executione Pastoralis Officii; c. *Per venerabilem, qui filii sint legitimi, § Rationibus,* et Constitutio Sixti V. incipiens, *Postquam verus.* Sunt enim Cardinales membra, et pars Corporis Papæ; l. *Jurisperitos, ff. de excusat. tutor. leg. quisquis,* ibi: *Senatores etiam, nam et ipsi pars Corporis nostri sunt: C. ad leg. Jul. Majestat., c. Si quis 6. qu. 1. c. Felicis, de pœnis in 6,* adeoque contra naturam rei est, ut se ab illius latere subducant; nam et a Capite non licet membra recedere; cap. *Cum non liceat, de rescript.* (10. Et ideo Summi Pontifices varias constituerunt pœnas contra Cardinales recedentes a Romana Curia sine Papæ licentia, et extra ipsam commorantes, ac inter alios Leo X. d. *Constit. incip. Sub pœna,* ibi: « Et cum Cardinalis Officium in primis versetur in frequenti Romani Pontificis assistentia, et Sedis Apostolicæ negotiis;

propterea statuimus, ut omnes Cardinales in Romana Curia resideant, et qui sunt absentes, si in Italia, intra sex menses, si extra Italiam, infra annum a die publicationis presentis Constitutionis revertantur, alioquin fructus Beneficiorum, et omnium Officiorum suorum emolumenta amittant, omnibusque privilegiis generaliter, et specialiter Cardinalibus concessis, quando abfuerint, omnino careant; exceptis tamen illis, quos ratione Officii ab Apostolica Sede inuncti, vel de Romani Pontificis mandato, aut licentia, vel justo metu, aut quavis alia legitima causa impediende, vel ægrotationis abesse contingat, privilegiis, indultis, et immunitatibus eisdem Cardinalibus concessis, et in Bulla nostra sub data Coronationis nostræ contentis, et expressis in suo robore nihilominus permanentibus. » (11. Et Innocentius X in dict. *Constit.* Incip. *Cum juxta*, cujus tenor per partes singulas, quæ octo sunt, compendiose hic adducitur, prout refertur a Fagnano in cap. *Ex gestis 2. de Clericis non residentibus num. 33.*

In prima igitur ponitur Constitutionis causa, nempe obligatio Cardinalium residenti apud Papam in Romana Curia, Decreta contra sic recedentes edita, et illorum transgressores.

In secunda, ibi : *Quia vero*, Cardinales, qui post Bullam non obtenta Papæ licentia se transferunt extra statum Ecclesiasticum; primo privilegiis, et indultis omnibus etiam Beneficia conferendi, Pensiones, et fructus Ecclesiasticos transferendi, et facultate testandi privantur, et ab ingressu Ecclesiæ interdicuntur, ultra alias pœnas arbitrio Papæ intelligendas, mandaturque deveniri ad sequestrum fructuum, Officiorum, et Beneficiorum, nec non pensionum, ac fructuum reservatorum. Secundo, si infra sex menses a die recessus ad Curiam non redierint, privantur iisdem fructibus arbitrio Papæ distribuendis. Tertio, si non redierint infra alios sex menses immediate sequentes ultra memoratas pœnas, privantur omnibus Officiis, Beneficiis, pensionibus, et fructibus reservatis, ut supra distribuendis.

In tertia, ibi : *Cardinales autem*, Cardinales qui ante Bullam sine licentia Papæ extra statum Ecclesiasticum jam se transtulerunt, si infra sex menses a die publicationis non redierint ad Curiam; primo, interdicuntur ab ingressu Ecclesiæ, privantur facultate testandi, ac privilegiis, et indultis prædictis, nec non fructibus Officiorum, Beneficiorum, ac Pensionum. Secundo, si non redierint infra alios sex menses immediate sequentes, ipsis Officiis, Beneficiis, Pensionibus, ac fructibus reservatis privantur.

In quarta, ibi : *Si autem Cardinales*, statuitur ut contra Cardinales, qui ante Bullam sine licentia Papæ extra statum Ecclesiasticum jam se transtulerunt, aut post Bullam se transferent, si per alios tres menses immediate sequentes, qui pro tribus canonicis monitionibus, ac peremptoriis terminis assignantur, et sic in totum infra quindecim menses ad Romanam Curiam non redierint,

deveniri possit ad alias pœnas per Summum Pontificem declarandas etiam usque ad privationem dignitatis Cardinalatus inclusive.

In quinta, ibi : *Ac demum*, Cardinalibus, qui de cætero sine dicta licentia extra statum Ecclesiasticum jam se transferent, adimitur facultas substituendi Cardinalem Prælatum, vel alium quemcumque in suis Officiis, Legationibus, Præfecturis, Guberniis, Protectionibus, nec non administrationibus Tituli, vel Diaconiae, aut etiam Episcopatus, et Ecclesiarum etiam Patriarchalium, ac Beneficiorum quorumcumque, et cassantur indulta super his concessa.

In sexta, ibi : *Ab omnium*, declaratur ab antedictis penis non excusari Cardinales prætextu servitii, aut jussu etiam Imperatoris, et Regum, aut distantiae locorum, nisi ex causa in corpore juris clausa, coram Papa allegata, et expresse admissa. Præservatur tamen *Const. Urb. VIII.* super residentia Episcoporum etiam Cardinalium.

In septima, ibi : *Ac ulterius*, reservatur Papæ absolutio, et relaxatio earundem pœnarum privative etiam quoad Collegium Cardinalium Sede vacante.

In octava, ibi : *Decernentes*, præmissorum observantia injungitur, Decretum irritans appozitur, contrariis derogatur cum clausulis admodum urgentibus, Constitutio publicari, et illius transumptis fides adhiberi jubetur.

(12. Cardinales etiam non Episcopi, habent in suis Titulis, et in Ecclesiis suis Titulis subjectis Episcopalem Jurisdictionem; cap. *his quæ 11. de major. et obed.* Barb. lib. 1. *Juris Ecclesiast. univ. c. 4. num. 33.* Fagnan. in d. cap. *his quæ num. 15.* et ita Joan. Monachus in cap. *Unic. num. 2. de maj. et obed. in 6.* attestatur Papam sibi respondisse, et tenet communiter Doctores, ut dicit Abbas in dict. cap. *his quæ in 2. notabili.* (13. Et licet ex responso Gregorii XIII. nequeant Cardinales in suis Ecclesiis Titularibus, et eorum subditis uti illis facultatibus, quæ a Concilio Tridentino concessæ sunt episcopis in suis Ecclesiis, et specialiter illis, quæ comprehenduntur cap. 6. sess. 24. eo quod, ut dixit Pontifex, licet habeant quasi Episcopalem Jurisdictionem, ibi tamen vere, et proprie non sunt Episcopi, nihilominus hæc decisio, et responsio Pontificis, ut in libris Congregationis Concilii est adnotata, intelligenda est quoad concessas facultates a Concilio, de quibus tantummodo fuit tunc Pontifex interrogatus, ut refert, et tenet Fagnan. in cap. *ne pro dilatione 16. de pœnit. et remissionibus num. 42. et cap. his quæ 11. de majorit. et obed. num. 17.* Extra autem facultates a Concilio concessas salva manet Jurisdictio Cardinalium in suis Titulis ad præscriptum d. capituli *his quæ*, ex sententia dictæ Sacræ Congregationis Concilii a Fagnano relata cit. num. 17. (14. Unde Cardinales in suis Titulis habent Jus visitandi, sicut Episcopi in suis Episcopatibus. Leo X. in *Constit. incip. Supernæ* edita in *Conc. Lateran. 5. sess. 9. cap. 2.* ubi expresse disponitur, ut Cardinales loca

sui Tituli, Clericos, et populos Ecclesiarum Titulo suo subjectarum, si præsentibus fuerint in Curia, personaliter, si vero absentes, per Vicarium idoneum semel saltem singulis annis visitent. (15. Sic etiam habent Cardinales in suis Titulis Jus corrigendi, et excommunicandi, Suspensionis, et Interdicti sententias fulminandi; textu expresso in d. cap. *his quæ 11. de major. et obed.* ibi; *Correctionem ipsius Cardinalis recipientes humiliter, et Excommunicacionis, Interdicti, vel Suspensionis sententias, quas tulerit in eos, et Ecclesias eorumdem inviolabiliter observantes.* (16. Item in suis Titulis habent Cardinales Jus instituendi, et destituendi, cap. *Querelam, de electione*, ibi : *A Cardinali S. Susannæ, cui eadem Ecclesia tamquam Capella suo Titulo in spiritualibus est subjecta, canonice fuerat institutus*; et notat Innocent. in cap. *Dilectus, de Capellis Monachorum, num. 4.* dicens institutionem, et destitutionem spectare ad Cardinales in suis Titulis. Fagnan. in d. cap. *his quæ n. 21.* (17. Et sic possunt conferre Beneficia suarum Ecclesiarum Titularium. Felin. in dict. cap. *his quæ num. 1. vers. Adde Innocentium*, ubi refert Joan. Franc. Pavin. in tract. *de potest. C. Sede vacante fol. 38.* enumerantem aliqua privilegia Cardinalium, inter quæ dicitur fuisse eis concessum a Sixto IV. ut libere possint conferre omnia Beneficia in Ecclesiis, in quibus sunt intitulati, vel Commendatarii. Barb. lib. 1. *Juris Ecclesiast. Univers. cap. 4. num. 36.* Gonzal. ad *Regul. 8. Cancell. gloss. 13. num. 20.* (18. Intellige tamen, quando sunt præsentibus in Curia, seu in Urbe, nam in absentia solus Papa confert, ut habetur in regula 7. *Cancellariæ*, Gonzal. loc. cit. Joann. a Cochier. in *regul. 1. Cancell. num. 13. vers. secunda*; Fagnan. num. 23. loc. cit. (19. Et pariformiter possunt Cardinales recipere resignationes Beneficiorum existentium in suis Titulis. Flamin. Paris. *de resignatione Beneficiorum, l. 7. quæstion. 12. numer. 8.* Diana part. 5. tract. 5. *resolut. 14.* Fagnan. loc. citat. Barbosa loc. citat. numer. 36. (20. Cardinales possunt in suis Titulis interesse Matrimonii, vel aliis interessendi facultatem concedere. Azorius *institut. moral. part. 2. lib. 4. c. 3. quæstion. 2.* Sanchez *de Matrimon. lib. 3. disputat. 28. num. 7.* Basil. Pont. *de Matrim. lib. 5. cap. 20. num. 6.* Barb. loc. cit. num. 35. et alii passim (1).

(21. Cardinales in suis Titulis habent Jus utendi insigniis Pontificalibus, et solemniter benedicendi more Episcoporum, licet non sint Episcopi. Hostiens. et Joan. Andr. in cap. 5. *de supplend. negligent. Prælat.* Felin. in cap. *inter Monasterium, de re judic. num. 2.* Barbosa loco cit. num. 35. Fagnan. loco

(1) Tituli Cardinalium olim territorium separatim habebant cum clero, atque populo eisdem subjecto, ut colligere est ex quadam Joannis VIII. *Constit.* quam refert Baronius ad ann. 882. et ipse Cobelius *Not. Cardinal.* cap. 25. pag. 168. Dum ita titularum Ecclesiæ Cardinalium curæ concredite erant, poterant sane in iis matrimoniis interesse, vel aliis interessendi facultatem concedere: sed cum modo hujusmodi territorium desit, ac jurisdictio inde de-

ducta, opinio illorum auctorum quos Lucius sequitur, locum habere non potest: id vero notandum est circa ea quoque quæ de ultimorum voluntatum permutatione asserit num. 23. et circa dispensationem votorum num. 25. Nam nec subditos in iis habent, neque Vicarios, ut auctor constituit, quorum ministerio tunc solum utebantur, cum tituli territorium separatim, ut supra diximus, constituebant. (*Nota Romani Theologi.*)

cit. num. 24. (22. Item Cardinales Presbyteri, etiamsi Episcopi non sint, possunt in suis Titulis conferre primam Tonsuram, et omnes Ordines minores suis subditis, et familiaribus. Jacobat. *de Concil. lib. 1. art. 12. vers. Item Cardinalibus*; Martin. Laud. in tract. *de Cardinal. g. 20.* Barbosa lib. 1. *Juris Ecclesiast. univers. cap. 4. num. 40. et par. 2. de Offic. et potest. Episcop. alleg. 3. num. 15.* cum pluribus aliis citatis. (23. Item possunt Cardinales in suis Titulis commutare ultimas voluntates in illis casibus, quibus possunt Episcopi respectu suorum Subditorum. Diana part. 5. tract. 2. *resol. 57.* Barbosa loco cit. num. 39. (24. Et etiam in suis Titulis possunt dispensare in iis votis in quibus dispensare possunt Episcopi suis in Diocesisibus. Diana loco cit. *resolut. 58.* (25. Barbosa loc. cit. n. 39. Tandem possunt Cardinales sive per se, sive per suos Vicarios in suis Titulis reliqua facere, quæ sunt Jurisdictionis Episcopalis. Roman. Conc. 498. num. 11. cum sequent. Sbroz. *de Offic. Vicar. lib. 1. qu. 3. num. 23.* Imol. in *Clement. Ne Romani in 4. quæst. n. 24. de elect.* ubi dicit, Cardinales in suis Titulis haberi loco Episcoporum, quoad Jurisdictionalia, cujus dictum sequitur. Felin. in cap. *His quæ 11. de Majorit. et Obed. num. 1.* et Fagnan. *ibidem n. 26.* (26. Et ideo Cardinalis Vicarius Urbis non cognoscit de causis sub Titulis Cardinalium. Flamin. Paris. *de resignat. Benefic. l. 7. q. 12. num. 121.* Manfred. *de Cardin. dec. 106.* Fagnan. loc. cit. n. 17. (27. Barbosa loc. cit. num. 37. Et supradicta procedunt non solum in Cardinalibus Presbyteris, sed etiam in Cardinalibus Diaconis, scilicet, ut illi in suis Titulis, hi vero in suis Diaconiis quasi Episcopalem habeant Jurisdictionem, quamvis enim soli Cardinales Presbyteri proprie habeant Titulum, et cum Titulo inseribantur, ut in cap. *Querelam 24. in cap. Coram. 35. de election. in cap. Licet 49. de testibus; et in cap. Ex gestis 2. de Clericis non residentibus*; et notat Hostiensis in d. cap. *His quæ 11. de majorit. Obedient. num. 1. Cardinal. et ibidem in primo notab.* Joann. Andreas *ibidem num. 2. et ibidem etiam Fagnan. n. 28.* Etsi Cardinales Diaconi non habeant Titulos, sed Diaconias, tamen ex quo sint Cardinales, sive sint Presbyteri, sive Diaconi, sive habeant Titulum, sive Diaconiam, habent indistincte in suis Ecclesiis, et Capellis subjectis Jurisdictionem quasi Episcopalem, ut expresse statuit Sixtus V. in *Constit. incip. Religiosa*, edita Idibus Apr. 1589. ibi : *Præter sex Episcopos Cardinales, qui certis Cathedralibus Urbi finitimis præsent, singulis Presbyteris, et Diaconis Cardinalibus propriæ in Urbe Ecclesiæ, Tituli videlicet, et Diaconiae cum*